

www.e-rara.ch

In sacrosanctum Davidis Psalterium Commentarii

Musculus, Wolfgang

Basileae, [1551]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7916>

Appendix ad psalmum XV. de iuramento

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

APPENDIX AD PSALMVM XV.

DE IVRAMENTO.



IN calce cōmentarij super psalmum 15. erant ista subiicienda, quę hic tandem toti operi per gratiam Domini absoluto per appendicem adiicimus. Id quare non sit factum, haud puto magnopere reddendam esse rationem, quando hic quoq; satis commodē refarciri potest, quod illic per incōsiderantiam, magnis ac prolixis operibus insidiosam, est neglectum. Quoniam Propheta psal. 15. uersu penultimo et ultimo à ciue regni Dei inter cætera hanc requirit integritatem, ut nec mutet, quæ proximo iurauit, nec pecuniam suam det ad usuram: operæ precium fuerit & de iureiurando, & de usura quædam annotare, præsertim quod nostro seculo plena sunt omnia iuramentis, & usura creuit in immensum. Abundē scio, non esse aures audiendi isti hominum generi, qui usq; adeo procul sunt ab integritate Christianæ pietatis, ut ne diuini quidem nominis ulla reuerentia teneantur, nedum fraternæ charitatis spiritu ducantur, uerū ne fidelis admonitoris officium negligam, simpliciter & cādide, quid pio homini sentiendum, curandumq; sit, admonebo.

IVRAMENTVM quid sit, non est opus ut definiam. Notius enim est & uisitatius, q̃ ut declarationē requirat, esse iuramentū quo teste Deo, citato illius nomine, uel testamur de ueritate aliqua: uel q̃d imponitur, seruatuos nos esse, sanctē p̃mittimus. Loquimur enim nō de friuolo, sed legitimo iuramēto.

RATIO iuramenti hæc est. Quoniam mortalibus omnibus id inesse præsumitur, ut numen esse credant, cui omnia secreta pateant, fidesq; & ueritas plurimum probetur: contrā perfidia, fraus, & mendacium uehementer displiceant, idq; sit iusticiæ studiū, ut peierātes merita ultione puniat: obtinuit publico omniū usui, ut ad faciendam fidem earum rerū, quarum ueritatem alio pacto confirmatam ac certam reddere non possumus, numinis huius, Dei omnium, nomē, testificationis gratia, usurpemus, illumq; uindicem constituamus, si uel falsi aliquid iurauerimus, uel promissa non præstiterimus. de quo persuasum est omnibus, quod nominis sui abusum inultum abire non sinat. Et iurisiurandi huius religio inde ab initio maioribus nostris perpetuō maxima fuit. non solum apud Iudæos, sed & ethnicas nationes. Iureiurando, quæ dubia & incerta sunt confirmantur: & si qua exorta est controuersia, illius interuentu dirimitur. Sic Apostolus Ebr. 6. dicit: Homines per maiorem quā ipsi sint iurant, & omnis controuersia eorum finis ad confirmationem est iuramentum. Sed ista nihil habent obscuritatis. Quare non egent fusiore declaratione: sed progrediendum est ad ea, de quibus plus est disceptationis. Ut pote, sit ne iusiurandum licitum Christianis, deinde quis sit iuramenti abusus, tertio de solutione iuramentorum.

An usus iuramentorum licitus sit Christianis.

Non esset opus hac quæstione, nisi Anabaptistæ multorum conscientias hac nostra ætate etiam isto erroneo dogmate turbassent, quo prorsus omne iusiurandum, tanquam illicitum, è medio tollere nituntur: idq; prætextu uerborum Christi Matth. 5. quibus sic dicit: Rursum audistis, quod dictum fuerit antiquis: Non peierabis, sed persolues Domino ea quæ iuraueris. At ego dico uobis, ne iuretis omnino, neq; per cælū, quia thronus Dei est: neq; per terram, quia subsellium est pedum illius, &c. sed erit sermo uester, est est, non non. Porro, quod ultra hæc adiungitur, ex malo proficisciur. Ex hisce uerbis colligunt illi, prorsus non licere Christiano ullum iuramenti genus, propter uoculam uniuersalem Omnino, qua putant interdictum, ne quis ullo modo iuret. Verū quā malē uerba Christi intelligant, & ex illis hoc dogma inferant, annotabimus postea. Illud autem declarandum in præsentī uidetur, an iuramentum, sine dolo, in ueritate, & cum religione diuini nominis factum, res sit in se mala & illicita, uel secus. Si malū est in se, uti iureiurando, utique erit & illicitum. Si malum non est, nec illicitum erit, nisi per circumstantias reddatur malum & illicitum. Quod si quis malum dixerit, ob

id malum sit necesse est, quod iurando peccetur uel contra gloriam nominis Dei, uel contra dilectionem proximi. Si uerò neutro modo peccetur iurando, sicut nec Dei, nec proximi dilectio lædatur, non uideo, quomodo aliqua re cta & firma ratione dici possit, malum & illicitum esse iusiurandum.

Iusiurandum non esse contra nominis Dei gloriam.

Primum, si ratio illa consideretur, ob quam in uniuerso mūdo, apud cūctas nationes usus iurandi obtinuit, cuius suprà memini, manifestum, opinor, erit, haudquaquē derogari gloriæ Dei, quod per nominis ipsius usurpationem ueritas confirmatur, et fidem inuenit, qui alioqui quod uerum esse nouit, nullis alijs potest uel testibus uel indicijs, nisi per usurpationē nominis Dei, fide dignum efficere. Etenim cum sit Deus ipsa ueritas, fieri nō potest ut ægreferat hunc morem, quod testimonio nominis ipsius ueritas cōfirmatur. Nec facit ad nominis illius ignominiam ista reuerētia & religio, quod iurato creditur in re obscura & incerta, nō propter iurantem personam, sed propter diuini nominis, iure iurando usurpati, reuerentiā, quod sentitur cū à iurantibus, tum ab illis quibus iusiurandum præstatur, esse solum Deum secretorum & occultorum cognitorē, & omnis perfidiæ osorem ac uindicē. Nemo cordatus ita insanit, ut ad nominis sui putet facturum ignominiam, si passim ad ueritatis testimonium posceretur, & tantum haberet apud omnes authoritatis, ut nomen ipsius etiā ab alijs citato, sine ulla contradictione fides haberetur ab omnibus. Quare planē insani hominis esse oportet, si quis iuramenti usum, modō leuitas & mendaciū absint, non agnouerit tam non derogare quicquam gloriæ Dei, ut illam etiā illustret. Sic Hier. 4. legimus: Et iurabis, uiuēt Dominus, in ueritate & iudicio & iusticia, & benedicent illi gentes, ipsumq; laudabunt. Quomodo laudant gentes Dominū, per id quod populus eius per nomen illius iurat? Laudant eum, hoc est, gloriosum reddunt nomen eius, quando iurantibus per illud fidem habent, & deprehendunt in iurante tantam illius reuerentiā & obseruantiam, ut quod iurauit, re ipsa etiā præstet. Quare Propheta non simpliciter dixit, iurabis, uiuēt Dominus: sed adiecit, In ueritate, iudicio & iusticia. Quod igitur & religione Dei usurpatur, & causam adfert illustrandi nominis Dei, indubitātō non simpliciter, sed excellenter bonum est: bonum, inquam, in se, si rectē usurpetur.

Non esse iusiurandum contra dilectionem proximi.

Locus Apostoli Ebr. 6. quē suprà citauimus, satis declarat, usum iuramenti rebus humanis commodare plurimum, per id quod finem imponit controuersijs. Omnis, inquit, controuersia eorum finis ad confirmationē, utiq; ueritatis & pacis, est iuramentum. Etenim, quemadmodū dissidia, lites, contentiones, rixæ, &c. res humanas perturbant, & maximum bonum pacis, e medio tollūt, habeturq; nō immeritō nocētissimus & hostis rerū humanarum, quisquis uel author est contentionum ac dissidiōrū, uel aliūde motis dissidijs fomenta præstat, & conciliationem dissidentiū impedit: ita necesse est, ut rebus humanis commodum & amicum censeatur, cuius usurpatione dissidia & contentiones e medio tolluntur, ueritas confirmatur, pax restituit, & tranquillitas reducitur. Cum ista beneficio iuramenti sanctē ac religiose in ueritate & bona fide usurpari perficiantur, quis non uidet usum iuramenti talem esse, ut non sine magno incommodo rebus humanis adimi possit? Quare ipsa illius necessitas tantum non clamat, uehementer desipere eos, ne quid durius dicam, & parum intelligere quantum damni mortalium conuictui inferre conentur, qui prorsus omnem iurandi usum subuertere moliuntur. Etiam si nulla ratione gloriam nominis Dei concerneret iuramentum, usq; adeo tamen philanthropos est Deus, ut nullo pacto probare posset eorum conatus, qui tranquillitatis publicæ bonum, quantum in ipsis est, subuertere nituntur. Iam cum ea sit legitimi iuramenti conditio, ut nō solum commodum sit ac necessariū rebus humanis, sed & gloriā nominis Dei singulari ratione, apud gentes quoq; illustret: irrefragabiliter concludimus, usum illius tam non

A non esse malum & illicitum, ut & & bonus & necessarius esse conuincatur.

Iuramentum esse à Deo præceptum.

Quãuis hominĩ nō cōtentioso abūdē sufficiat in hac quæstione dijudicāda, si certō cognoscat sic esse naturā et rationē legitimi iurisiurādi comparatā, ut non solū nihil habeat mali, nihil illiciti, sed & ad gloriā nominis Dei simul & rerum humanarū commoditatē ac tranquillationē plurimū faciat: adijcia mus tamen ex abundantī, usum iuramēti præterea cōmendari in S. scripturis, primū ex eo quōd præcepto Dei traditum est populo eius, deinde exēplis hominum pientissimorū, tertio quōd pars quædam est diuini cultus, quarto quōd prophetarū uaticinijs de noui Testamēti tempore prædictū est, fore ut gentes ad fidē cōuersæ in nomine Dei iurēt. Quōd præceptū sit à Deo iusiurandū, uidere est Exo. 22. ubi sic legimus: Si quis cōmendauerit amico pecuniam uel uas in custodiā, et ab eo qui suscepit, furto ablata fuerint, si inueniatur fur, duplū reddet: si latet fur, dominus domus applicabit ad deos (hoc est magistratus et iudices) & iurabit, quōd nō extēderit manū ad rē proximi sui, ad perpetrandā fraudē. Itē: Si quis cōmendauerit proximo suo asinū, bouem aut iumentū quoduis ad custodiā, & mortuum fuerit uel debilitatum, aut captum ab hostibus, nullusq; hoc uiderit, iusiurandū erit in medio, quōd non extēderit manū ad rem proximi: suscipietq; dominus iuramentū, & ille reddere non cogetur. Ergo usus iurandi non solum qualitate sua, sed & præcepto Dei sic est commendatus, ut phanatici hominis sit, uelle illum quasi culpabilem tollere ē medio, & rebus humanis tranquillandis adimere.

Iuramentum pientissimorum patrum exemplis commendatur.

Abraham non solū multarū gentium, sed & Christi fidelīū pater, iuramēto est inculpatē usus, sicuti patet Gen. 21. ubi sic legimus: Eodem tempore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abrahā: Deus tecū est in u. **B** niuersis quæ agis. Iura ergo per Deū, ne noceas mihi, et posteris meis, stirpiq; meæ: sed iuxta misericordiā quā feci tibi, facies mihi, & terræ in qua uersatus es aduena. Dixitq; Abrahā: Ego iurabo. Et paulo post: Idcirco uocatus est locus ille Beer-sabe, quia ibi uterq; iurauit, & inierūt fœdus pro puteo iuremēti. Consimili modo Gen. 26. & de Isaac legimus, qui & ipse præstito iuramento fœdus iniit cū Abimelech. Sic & Iacob Labā socero suo iurauit ca. 31. Et Dauid uir secundū cor Dei fœdus iniit cū Ionatha interposito iuramēto. 1. Sam. 20. & postea cap. 24. etiā Saul iurauit. Ista tam insigniū uiro-rū exempla satis euincunt, nihil habere in se iuramentum, si ritē usurpetur, quod Deo displiceat, & uirum pium ac Deo dilectum dedeceat. Quare omnino necesse est diuersissimos esse ab illis Anabaptistas, sacri iuramenti infamatores, immō sic esse illos dementatos, ut non uideant se dānare eos, cum quibus electi ab oriente, occidente, meridie, ac septentrione congregati in regno Dei recumbent, quorum pietas ac fides nobis in scripturis imitanda proponitur.

Iuramentum pars quædam est diuini cultus.

Sic modici momēti uident, quæ hætenus de iuramēto diximus, utpote qd bonū sit, ad gloriā Dei & commodū proximi faciat, à Deo populo eius præceptū, & sanctis patribus in usu fuerit, pergamus ad maiora. Habet præterea iusiurandū etiā hoc encomiū in scripturis, quōd ad cultū Dei pertineat. Sic Deut. 6. legimus: Dominū Deū tuū timebis, illi soli seruiēs, ac per nomē illius iurabis. Et cap. 10. consimiliter: Dominū Deū tuū timebis, & ei soli seruiēs, ipsi adhærebis, iurabisq; in nomine illius. Hisce duobus locis non solum præcipitur à Deo iusiurandum, citato nomine Dei præstandum: sed & timorī, adhæsiōni ac cultui Dei coniungitur, quōd ista natura sua cohæreant. unde facile admonemur, iusiurandum per usurpationem nominis Dei præstitum, animi esse Deū timētis & colētis, eiq; indiuisse adhærētis. Quis autē cordatus non intelligit, ad cultū Dei si cōp̄tinere timorē, seruitutē & adhæsiōnē, ut in istis potissimum sita sit omnis illa obseruantia & religio Dei, quæ ueluti radix est omnium eorum, quæ ad sincerum cultum Dei requiri possunt: Hue

& illud

& illud pertinet, quod Esaia 19. cum Propheta uaticinari uellet, futurū ut Aegyptus ad cognitionem & cultum ueri & unici Dei ex parte perduceretur, prädicit, fore ut quinq; ciuitates in Aegypto per Dominū exercitū iurēt, erigaturq; in medio Aegypti altare Domini, & titulus Domini iuxta terminum eius, quod sit in signū & testimonium Domino exercituum in terra Aegypti. ubi uidemus & Prophetam, iuramentū sub nomine ueri Dei factum, cultui Dei coniūgere. Quin et gentib. persuasum fuit, iurisiurandi religionem partem esse cultus Dei: quare iurātes, aras deorum suorum manu tenebant. Cui & illud astipulatur, quod Exo. 23. legimus: Omnia quæ dixi uobis, custodite, & per nomen externorum deorum non iurabitis, neq; audietur ex ore uestro. Et Iehosua uigesimalmo tertio: Ne postquam intraueritis ad gentes, quæ inter uos futuræ sunt, iuretis in nomine deorum earū, & seruiatis eis, & adoretis illos: sed adhærebitis Domino Deo uestro. Ergo recessus est à Deo uero, iurare per eos qui non sunt dij. id quod & Hieremia cap. 5. manifestè legimus, dicēte Deo: Filij tui reliquerūt me, iurātes in his qui non sunt dij. Quid aut opus est propheticiis testimonijs? An non manifestū huius rei argumentum in eo reluxit, quod ubi cultus mortuorū sanctorū inoleuit, simul inuocari cœperūt sancti, & nomina illorū in forma iuramenti nomini Dei coniūgi?

Iuramentum in fide Dei, ueritate & iudicio præstitum, in signe quodam esse noui Testamenti.

Ne contentiosulus quisquam reluctetur ac dicat, quæ dicta sunt hactenus, locum habuisse in ueteri Testamento, in nouo uero non ita, quare necesse esse ut noui Testamenti scripturis comprobentur, quæ de iureiurando prædicantur (nam & isto subterfugio elabi conantur Anabaptistæ, ne manus uicti dare cogantur) age uideamus quibus testimonijs conuinci possit, usum iurisiurandi, sub nomine ueri & unici Dei præstiti, maximè ad noui Testamenti pertinere tempora. Arbitror autem neminem sincerè Christianum inficias ire, quæ propheticiis uaticinijs de regno Christi prædicantur, sine ulla cōtradictione ad nouum pertinere Testamentum, & competentissimè à Christi fidelibus usurpari. Quare audiamus prophetica uaticinia, causam hanc cōcernentia. Esaia cap. 45. sic dicentem Deum legimus: Deus iustus & saluās non est præter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ: quia ego sum Deus, & nō est alijs. Per memetipsum iuraui, egredietur de ore meo iusticiæ uerbum, & nō reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua. Pertinere uaticiniū hoc ad noui Testamenti tempora, & Christi Seruatoris nostri regnum, primū ipsa uerba satis declarant, quibus & ad cognitionem ac cultum Dei uocantur nō solum Israelitæ, sed omnes fines terræ: & futurum prædicitur, ut uerbum ex ore Dei egredietur, nec uacuum reuertatur: sed usq; adeo prosperetur, ut omne genu Deo flectatur, & illi iuret omnis lingua. hoc est, ut omnes nationes Deum uerum agnoscant, colant, adorent: & relictis dijs falsis, per nomen illius iurent, atq; ita se ad illum conuersas declarent. id quod omnino non conuenit nisi regno Christi, ac nouo Testamento, sub quo per Euangelij prædicationem ad uerum Deū conuersæ sunt omnes totius orbis nationes, quæ ueteris Testamenti tempore à uero Deo extiterant alienæ. Eph. 2. Deinde & apostolica scripta testantur hoc ipsum, Ro. 14. & Phil. 2. ubi præsens uaticiniū regno Christi adaptatur. Consimilis locus habetur Esaie cap. 65. ubi sic legimus: Qui benedicet sibi in terra, benedicet sibi in Deo uero: & qui iurabit, iurabit per Deum uerū. Pertinet autem totum illud caput ad uocationem gentium, & repudium Iudæorum. Quare & Apostolus Rom. 10. testimonio illius usus est. Itaque testimonijs istis propheticijs & apostolicis tam pulchrè inter se consentientibus, satis manifestum redditur, & irrefragabiliter conuincitur, friuolam esse Anabaptistarum tergiuersationē, qua usum iuramenti legitimi sic ueteri Testamento depurant, ut in nouo prorsus habendū sit illicitum, cum tanq; in signe uere cognitionis Dei, & cultus diuini testimoniū, ad nouum potissimū pertineat.

Deum,

A Deum, Christum filium eius, & Apostolos, usos esse iuramento.

Quoniam exemplis patrum Abrahe, Isaac, Iacob, Davidis, quæ supra adduximus, magna impudentia obdurati Anabaptistæ non cedunt, sed illa veteri Testamento tribuunt, & imitatione eorum noui Testamenti tempore infirmant: inducamus eorum exempla, quos sine manifesta impietate, nec veteris Testamēti temporibus includere, nec noui excludere poterūt. Fateantur necesse est, Dominum esse non solum Iudæorū, sed & gentiū: Deum non solum veteris, sed & noui Testamenti Dominū & authorē. Deinde Christum filium eius, licet, ut Paulus ait, circumcisionis uenerit minister, esse tamē noui Testamēti mediātorem ac principem: adhuc et Paulū non circumcisionis ac veteris Testamenti, sed gentium noui Testamenti & Euangelij Christi incomparabilem fuisse ministrum, ut exempla Dei, Christi, & Pauli, si ulli mortalium generi, Christianis cum primis authentica esse conueniat. Quare uideamus an tale quid sit usus iuramenti, quod nec Deum, nec filium eius Christum, nec Apostolum utriusq; ministrum dedecet.

Primum, iurasse Deum, multa scripturæ loca testantur. Gen. 22. Per semetipsum iuro, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicam tibi, &c. Psalm. 89. Iurauit David seruo meo. Item, Semel iurauit in sancto meo. Psalm. 95. Quibus iurauit in ira mea. Psalm. 110. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Psalm. 132. Iurauit Dominus David ueritatem, &c. Talia testimonia multa leguntur in scriptis prophetarum. Quod autem per semetipsum iurat Deus, quare id fiat, Apostolus Ebr. 6. declarat, dicens: Quoniam non habet maiorem aliquem, per quem iuret, iurat per semetipsum: homines uerò per eum iurant, qui ipsis sit maior. Quo loco satis declaratur, id discriminis tantum poni inter homines & Deum in causa & usu iuramenti, quòd licet utriq; iuramento utantur, homines tamen non per semetipsos, sed per eum iurant, qui maior sit ipsis, hoc est, per Deum. Deus uerò non per maiorem aliquem, sed per semetipsum iurat: non quòd in se sit illicitum, iurare per maiorem, si quis illo maior esset: sed quòd maiorem super se non habet ullum, per quem iurare possit. Quare non est quòd tergiversentur ac dicant, loqui Apostolum de hominibus, hoc est, filijs huius seculi: non de Christianis & electis, cum dicit, Homines uerò iurant per maiorem. Nam non conferuntur ab Apostolo homines inter se, electi cum filijs huius seculi: sed conferuntur homines cum Deo, & discernitur inter illos hoc uno tantum, quòd isti per maiorem ipsis: ille uerò per nullum maiorem, sed per semetipsum iurat.

Deinde, si ne sic quidem satisfat contentiosis hominibus, inspiciamus exemplum Apostoli Pauli. Ille 2. Cor. sic scribit: Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quòd parcens uobis nō uenerim ultra Corinthum. Habent hæc uerba manifestum iuramentum. Citat enim Deum testem aduersus animam suam, si mentiatur, ut persuadeat Corinthijs de ueritate eorum quæ dicit, nempe, quòd Corinthum propterea non uenerit ultra, ut illis parceret. Est enim hic potissimus iuramenti usus. & nemo cordatus adeò hebes est, ut non uideat, usum esse hic Paulum manifesto & expresse iuramento. Nec ueritus est Paulus etiam alijs locis Deum citare testem, & illius nomine usurpato, uerbis suis facere fidem, sicuti uidere est Rom. 1. Gal. 1. Phil. 1. & 1. Thess. 2. Quin & Timotheum suum grauissima obtestatione adiurat, dicens: Obtestor coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius, prædica uerbum, &c. 2. Tim. ult. Qui alium, idq; fratrem & symmistam, tam tremenda obtestatione adiurat, qua ratione in causa consimili iuramentum prestare detrectasset? Quare, si quid tam insignis Apostoli, & noui Testamēti ministri ualet exemplum, manifestum est, admodum impudentes esse Anabaptistas, dum usum iuramenti Christianis illicitum esse contendunt.

Tertiò progrediamur ad Christum ipsum, et uideamus an non & ille usus

bbb sit iura-

fit iuramento. Quoties dixit, Amen amen dico uobis, toties iurauit reipsa, etiam si nomen Dei expresse non citauerit. Neque enim uis iuramenti in expresso aliquo nomine Dei sita est, sed etiam in illis reb. quæ gloriā Dei cōcernunt: sicuti ueritas propriè ad Deum pertinet, & ad gloriā eius spectat. Est autem illud, Amē amē dico uobis, nihil aliud, quàm, Verè uerè dico uobis, per ueritatem affirmo uobis. Nam uox Amen pro ueritate sumitur, sicuti norunt qui Ebraicè sciunt. & Paulus etiam illa usus est, 2. Cor. 1. cum dixit, promissiones Dei esse in Christo *uāi* & amen. Quare pijs omnib. religiosum est illa leuiter uti, quod sentiāt uim habere iuramēti, si uocula hac, Verè, temerè utantur, perinde ac si Deum ipsum testis loco citent. Sic Paulus Ebr. 6. iurantem Deum inducens, sic scribit: Deus enim pollicitus Abrahæ, cum non posset per quem quam maiorem iurare, iurauit per semetipsum, dicēs: *ἡμῶν ὁ λόγος ὁ λόγός σου* τε. hoc est, uerè & haud dubiè benedicēs benedicam te. Nam uocula *ἡμῶν* idem sonat græcis quod *τὸ ὄντως*, id est, reuera. Atq; huic iurandi formulæ filius Dei patri per omnia æqualis, nec ipse maiorē habens per quem iuraret, iuramenta sua omnium conuenientissimè conformauit, frequenter & ipse iurans ac dicens, Verè uerè dico uobis. unde absq; ulla cōtradictione manifestum est, non solum Deum patrem, sed & Christum filium eius creberrimè iurasse.

Επίλογος προδι
αγογῆς.

Itaq; cum negari nequeat, iuramentum non esse illicitum, quia non est malum, imò esse bonum, facere ad gloriā nominis Dei, & commodum proximi morum: præceptum esse à Deo, usurpatum pientissimis patribus: deniq; partem esse cultus Dei, insigne noui Testamēti, prophetarū uaticinijs prædictū: ac postremò, iurasse Deū, iurasse Apostolum Paulū, iurasse Christum ipsum: quis non uidet, quod idem Christus Matth. 5. dicit: Ego autē dico uobis, ne iuretis omnino, non sic esse intelligendū, ut istis omnib. tam irrefragabilibus manifeste ueritatis testimonijs cōtradicat: & non solū Deo patri, sed et sibi ip si aduersetur: sed necesse esse, ut sensus queratur, qui nihil habeat cōtradictionis, & simul proposito causæ, quam illic agendā suscepit, conueniat: Si Anabaptistæ hac essent cautione & circūspectione usi, quæstionē hanc in ecclesia Christi haudquaquam ad perturbandas fidelium conscientias mouissent.

De sensu uerborum Christi: Ego autem dico uobis, Ne iuretis omnino. Matth. 5.

Habetur hoc communi sensu in exponendis scripturis pro regula summo pere necessaria, ut non tam attendātur uerba, quàm dicentis mens & sententia. Alioqui si uerba urgeantur sine cōsideratione sensus, quo dicuntur, fieri non potest, ut non grauiter erretur. Exempli gratia. Hoc eodem capite dicit Christus: Ego autē dico uobis, Nolite resistere malo. Si uerba urgeas, illicitū erit ullo modo resistere malis, sic ut & magistratus, & ministeriū uerbi, & auctoritas parentū erga liberos prorsus tollantur ē medio, & liberrimus cursus quorūcūq; generū malis permittatur. Rursus dicit Luc. 14. Si quis uenit ad me, & non odit patrē ac matrē, fratres ac sorores, uxore ac liberos, non potest meus esse discipulus. Contendatur esse clara & manifesta uerba, quid sequetur aliud, quàm præceptū de honorandis parentibus, uxoreq; diligēda, abrogatum esse Christianis, ita ut à quibus exigitur, ut diligant etiā inimicos, os res constituentur parentū, fratrum, sororum, uxorū ac liberorum, nisi nolint esse Christiani. Mat. 23. de scribis & Pharisæis dicit: Quæcūq; dixerint uobis, facite. Concludatur igitur, doctrinā scribarū & Pharisæorum in omnibus esse sine discrimine amplexandā, ut uanū sit quod dicit Matth. 16. Cauete à fermento Phariseorū. Ioan. 10. Quicūq; inquit, ante me uenerūt, fures fuerūt et latrones. Ergo Prophetæ & Ioannes fures fuerūt & latrones? Venerūt enim ante Christū. 1. Cor. 9. dicit Paulus: Omnibus factus sum omnia. Ergo et eido lolatris factus est eido lolatra, si uoculas uniuersales urgeas. Et 1. Cor. 10. Omnia mihi licent. Ergo illi & scortari & adulterari licebat. Vide quàm inconuenientia & absurda possint ex uerbis Christi & Apostolorū inferri, si simplici ter, absq; intellectu sensus qui intenditur, urgeātur. Consimiliter planè accidit & hoc loco, cum in uerbis Christi, Ego autē dico uobis, ne iuretis omnino: uocula

Auocula Omnino incircūspectē rapitur, & ex illa sensus colligitur, cui reliquæ scripturæ in uniuersum omnes reluctantur, & facta non solum patrum, sed & ipsius Christi & Pauli aduersantur.

Quare, sicut & Matth. 5. admonui, ubi ista considerantur, omnino consequitur, non loqui Christū de iureiurando legitimo, sed de quotidiana illa iurandi consuetudine ac leuitate, qua inter loquendū ferē quicquid loquimur, deierādo affirmamus. Illa & inter Iudæos obtinuerat. Iurabāt temere per cœlū, per terrā, per ciuitatē Hierusalē, quisq; per caput suum. et quoniā huiusmodi iuramēta non fiebāt per expressum aliquod nomen Dei, persuasi erant, ne minem per illa ad hoc obligari, ut quæ iurasset seruaret: aut delinquere, si hoc pacto falso iurasset. Istam persuasionem confirmabat in animis uulgi deuterosis Phariseorum et scribarū, qua mandatum Dei de non deierādo: & illud Exo. 20. Non usurpes nomen Domini Dei tui in uanū, sic exponebant, ut docerent, non peccari aduersum nomen Dei, si quis peierasset, nisi factum id esset per aliquod nomen Dei, quod illi peculiare sit & proprium. Sic & Rabi Shlomoh in locum Exodi scripsit. Et uerba Christi Matth. 23. Iudæorum errorem satis declarāt. Sic enim dicit: Vē uobis duces cæci, Qui dicitis, quicūq; iurauerit per templū, nihil est: qui autē iurauerit in auro tēpli, debitor est. Stulti & cæci. Quid maius est: aurū ne, uel templū quod sanctificat aurū. Et quicumque iurauerit in altari, nihil est: quicūq; autē iurauerit in dono, quod est super altare, debet. Cæci, quid maius est: donū, an altare qd sanctificat donū? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo & omnib. quæ super illud sunt. Et quicūq; iurauerit in tēplo, iurat in illo, & in eo qui habitat in tēplo. Et qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eū. Ex hisce uerbis satis manifestum est, qd erraneam doctrinam de iuramento scribæ & Pharisei induxerint, qua falsa uulgi persuasio confirmabatur. Huic contradicit Dominus utroq; loco, & quinto et 23. capite. Non tollit auctoritatem legis, quæ de iureiurando legitime faciendo præcipiebat: nec damnat exempla sanctissimorū uirorum, **B** qui iuramento bene fuerant usi. Quia non loquitur de legitimo, sed temerario illo & quotidiano, quod fiebat in sermonibus quotidianis temere, leuiter, mala iurandi consuetudine & falsa persuasionē, quod non tenerentur ad seruandum, quoniam non per nomen Dei, uel aurum templi, aut donum altaris iurassent. Itaq; hoc sensu clara sunt uerba Christi. Dicitum antiquis est, inquit. Hoc est, sic traditum est maioribus uestris per scribas & Phariseos, Non peierabis. Hoc præcipiebat lex. Nam Leuit. 19. sic legitur: Non peierabis in nomine meo, ne polluas nomen Domini Dei tui. Scribæ sic exposuerant: Si peieraueris per nomen Domini Dei, reus eris, & polluisti nomē Dei. Si peieraueris quidem, sed non per nomē Dei, non eris reus. Neq; enim polluisti nomen Dei. Itaq; huic legi adiecerant illud: Reddes autem Domino iuramenta tua. Hoc est: Si Domino Deo, usurpato illius nomine, aliquid iurando uouisti, debitor es ut reddas. Sin minus, debitor non es, quia nec Domino, nec per nomen eius iurasti. Quasi debitor non sit, qui non Deo, sed proximo: non per nomen Dei, sed creaturam aliquam iurauit. Subiungit igitur Christus, ut hanc pharisaicam doctrinam reprobam esse admoneat: Ego autem dico uobis, ne iuretis omnino. Quomodo? An' non etiam Deo? An' non etiam in iudicio & iusticia per nomē Dei ac forma iuramenti legitima? Audi. Nō dicit, Neq; Deo, neq; per nomē Dei, neq; in iudicio. Quare? Quia uidelicet sciebāt hoc ipsi Iudæi, non esse infontem eum qui Deo, qui sub nomine Dei etiā proximis, in iudicio peierasset. Quare non erat opus ista commemorare. Non enim loquebatur de legitimis iuramentis, sed quotidianis, quibus citra nomen Dei peierabatur impune, & sine peccati conscientia. Igitur sic dicit: Ego autem dico uobis, quicquid scribæ uestri tradiderint, ne iuretis omnino, neq; per cœlum, quia thronus Dei est: neq; per terrā, quia scabellum pedum eius est: neq; per Hierosolymā, quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capillum album

facere uel nigrum. Vide quas iurandi formulas perstringat. Neq; per cœlum, C inquit, neq; per terram, neq; per Hierosolymam, neq; per caput tuum. Atqui hisce iurandi formulis nemo utebatur in iudicio, nemo in fœderibus, nemo in legitimis contractibus, nemo in uotis, quæ Deo fiebant: sed in talibus iurabatur per usurpationē nominis Dei: id quod uel ex eo patet, quod istis iuramentis, quæ Christus hic recenset, nemo teneri ac ligari iudicabatur. Non erant igitur legitima, sed quotidiana, & inter sermocinandū usurpata. Deinde obserua etiam rationes quas adiicit: Ne iuretis, inquit, per cœlū. Quare? Quia thronus Dei est. Neq; per terrā. Quare? Quia scabellum pedū Dei est. Neq; per Hierosolymam. Quare? Quia ciuitas regis magni est. Neq; per caput tuū. Quare? Quia non potes unum capillum, uel album facere, uel nigrum. Hoc est: Quia non est tuæ, sed diuinæ uirtutis opus.

Si iuramenta ista aliquid haberent fidei, ueritatis, ac religionis, unde nomen Dei glorificaretur, sicuti suprā de legitimo iureiurando ostendimus, inconuenientes admodum essent istę rationes. Nam ob id ipsum iurandū esset per cœlum, quod thronus Dei est, quo gloria Dei illustraretur: sic & per reliqua, quæ aliqua ratione ad gloriam Dei pertinent. Atq; ita dicendum potius fuisset: Iurate per cœlū, quia thronus Dei est: quā, Ne iuretis per cœlū. Quare etiam hac cōsideratione satis patet, non loqui Christum de legitimis, sed leuibus, temerarijs, & quotidianis iuramentis, quæ sine fide, religione, ac ueritate usurpata, magis ad contemptum throni Dei, scabelli Dei, ciuitatis Dei, atq; aliorum operum Dei, quā ad honorem faciebant. Huc et illud facit quod dicit: Sit sermo uester, est est, non non. Significat se malā illam consuetudinē emendare, qua inter sermocinandum, uel affirmantes aliquid, uel negantes, temere iurabant. Non dicit, Sint uota uestra, sint promissa uestra, sint iudiciariæ uestre obtestationes, ac fideiusiones, &c. sed, Sit sermo uester, est est, non non. Tale est etiam quod addit: Quod ultra hæc est, à malo est. Quasi dicat: Quod non estis contenti hisce uerbis, est est, non non, sed adiicitis iuramenta, per cœlum, per terram, per Hierusalem, &c. ex eo est, D quod uani estis corde, nulla præditi reuerentiā ac religione throni Dei, scabelli Dei, ciuitatis Dei, & quod nemini creditis, nisi iuranti, eo quod sermones uestri plerumq; sunt mendaces ac uani. Nisi ad hunc modum intelligamus uerba Christi, quid respondebimus Porphyrio & Iuliano, si calumniam hinc Christo struant, quod nec illius sermones fuerint, est est, non non, cum toties illud suū Amen ingeminarit, ideoq; fuisse illud è malo? Item quomodo tuebimur Apostolum, ne scripserit è malo, quoties dixit: Testis est mihi Deus. Item, Testem inuoco Deum aduersus animā meam? Sed absit, ut uel Christus, uel Apostolus eius, tantę possint leuitatis argui. Quare admodum crassus ac delirus est iste Anabaptistarum error, quo rudes & imperiti homines per falsos ac subintroeuntes non fratres, sed impostores ac nebulones: non Christo, sed suis ipsorum affectibus seruietes, seducuntur. Vt horum nequiciam detegerē, & seductis succurrerē, scripsi de hac ipsa causa Germanicę dialogum, qui Augustæ Vindelicorū, ciuitate multis nominibus augusta, anno 1533. est impressus. Verū quoniam ille libellus forsā in paucorum manus incidit, deinde ab illis qui Germanicę nesciunt, intelligi non potest: uisum est hoc loco rursus publicæ seruire utilitati, & errorem nondum in ecclesia Christi extinctum, pro mea mediocritate uel suppressere, uel saltem suspectum reddere. Et hæcenus de hac quæstione, sit ne usus iurandi Christianis licitus, dictum esto.

De abusu iuramenti.

Duo hæc potissimum in asserenda quacuncq; ueritatis causa necessariò requiruntur. Vnū, ut quod in ea uerum est, declaretur & asseratur. Alterū, ut si quis abusus accessit, reprobetur ac tollatur. Est enim hæc fors quædam ueritatis in hoc mundo, ut uel ab ignorantibus incognita damnetur, uel à scientibus in abusum rapiatur. Vtrumq; accidit etiam in hac iuramēti causa. Anabaptistæ

Abaptistæ quod nec intelligunt, nec discere sustinent, peruicaciter damnant. Homines carnales, fide ac religione Dei destituti, quod non damnant, peruerse usurpant. Quare ordine recto asserenda primum fuit legitimi iuramenti ueritas, deinde & abusus illius reprobandus. Itaque post reprehensum Anabaptistarum errorem, ad abusum iuramenti perstringendum conuertimur. Est autem ille adeo fecundus, ut impossibile putem omnes illius species recensere & excutere. Nam ferè omnia, quæ in uita humana aguntur, iuramentis scatent, ut necesse sit propter multitudinem iuramentorum accidere in hac causa, quod accidit in multiloquio, in quo peccatum uitari non poterit. Itaque propter eos qui religione diuini nominis ducuntur, partem hanc aliquousq; perstringam, quo admoniti, conscientias suas à pollutione nominis Dei illibatas custodire possint. Horum gratia uidebimus quomodo uterq; & qui exigit, & qui præstat iuramentum, iuramenti religione abutantur.

Quomodo peccent qui iuramentum exigunt.

Peccatur ab illis, qui iuramenta exigunt, tripliciter. Primum, quando iuramentum imponunt leuibus et nullius, uel certè suspecte fidei hominibus, de quibus credi non potest, quod aliquo ueritatis studio, ac religione diuini nominis teneantur. Quamuis enim nemo nouit quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui est in homine, & inscrutabile per se sit cor hominis: excusari tamen non potest, quando talibus hominibus iuramenta imponuntur, qui manifestis argumentis declarant, quàm sint leues, uani, nullius fidei, nulloq; timore Dei præditi: & omnino tales, quibus nemo iudex, si se concernat causa præstandi iuramenti, uel tantillum fidei adhibeat, etiamsi centies postulati iurent. Qui talibus imponunt sacramentum iurisiurandi, scienter occasionem peierandi offerunt. Quare leuitas illa & à *δαρσινία* quibuslibet temere imponendi iuramenta, etiam iudicum & magistratum leuitatem arguit.

22. quæst. 5. ille qui hominē pro uocat ad iurandū, et scit eū falso iuraturum esse, uincit homicidam. Quia homicida corpus, hic uerò animam occisurus est.

B Deinde peccatur, quando in re leuicula, ac penè nullius momenti, iudex uel suapte sponte, uel ab actore impulsus, iurisiurandi sacramentū, usurpationem uidelicet nominis Dei, imponit. Huc & illud accedit, quod plerūq; hoc fit, quando alijs rationibus ueritas inquiri cognoscitq; uel causa controuersia transigi posset, nisi magis compedio, quàm iuste inquisitioni studeretur.

Tertio delinquitur, quando iuramentum imponitur in re præstita uel impossibili, uel tali quam iudex præscit, non fore præstandam. nec eam ob causam iuramentum poscit, ut seruetur, sed ut consuetudo seruetur, aut proprii commodi ratio habeatur. Sic delinquent hodie, qui sub iuramento à sacrificiis & monachis non castratis uotum coelibatus & castitatis, ut loquuntur, exposcunt, cum tot annorum, immo seculorum corruptione catholica, manifestum sit factum huiusmodi institutum, fomentum esse omnigenæ libidinis & impuritatis. Tale est etiam iuramentum, quod requiritur à suffraganeis Episcopis, ut ecclesias illas, sub quarum titulis ordinantur, ad fidem Christi prædicatione Euangelij uelint conuertere. Ipsa causa talis non est, ut quod isti iurant, possibile credatur: neq; hoc seriò requiritur, immo scienter & prudenter uanum ac friuolum iuramentum imponitur, à quo tandem miser, ut in peccato securius pergant, in speciem absoluuntur. Quanto melius quæso, hac de re Moguntinus ille suffraganeus, qui se falso Sidonensem uocat Episcopum, quàm de commentitio Papistica Missæ sacrificio scripsisset, si uirum bonum ac ueritatis studiosum agere constituisset?

Quartò peccant in forma iuramenti, qui nomini Dei coniungunt nomina sanctorum. Dant enim causam ei peccato, quod Hieremiæ quinto in filiis Israel reprehenditur: Filij tui, inquit, dereliquerunt me, & iurant in ijs qui non sunt dii. Nemo sanè ex pontificijs dicturus est, sanctos esse deos. Cum ergo per sanctos iurant, utique ipsorum conscientia teste iurant per eos qui non sunt dii: quod peccatum, defectionis genus est. Et Chrysostomus super Mattheum, capite quinto, expositione secunda, idololatriam ab eo committi dicit, qui iurat per aliquid, quod Deus non est, eo quod illud

deificet per quod iurat. Quid est autem iuramento deificare aliquem, quam tribuere illi, quod secreta cordiū cognoscat: quid ueri, quid ue falsi sit in omnium promissis, assertionibus, testimonijs, ac uotis intelligat: eiusq; sit iusticiæ & potentiæ, ut de periuris condignas pœnas sumat. Si ista præstare possunt sancti, meritò iuramēti religione deificatur. Si uerò solius Dei est huiusmodi omnium scientia, iusticia, & potentia, quis cordatus non uidet, quam non sit iurandum in iudicio et iusticia, nisi per solum Deum, omnium secretorum cognitorem, omnisq; fraudis ac perfidiæ uindictam: Hactenus de eo, quomodo peccent subinde, qui iuramenta alijs imponunt.

Quomodo peccetur à iurantibus.

Peccata eorum qui iurando peccant, bifariam considerata ueniunt. Primum, quomodo in quotidiano sermone non adiurati, sed sponte sua iurantes delinquant. Deinde, quomodo in iudicio & adiurati peccent. In quotidiano sermone iurādo peccatur primum, quando iuratur temere, sine causa, etiam si non falsò iuretur. Nomen enim Dei in uanum usurpatur, contra tertium præceptum Decalogi: & contra admonitionem Christi delinquitur, qua dicit: Ego autem dico uobis, ne iuretis omnino, sed sit sermo uester, est est, non non. Bona est coniunctio uiri ac mulieris, utpote à Deo instituta. Verum, si fiat in matrimonio legitimo: secus, si extra matrimonium. Bonum est psallere: uerum, si Domino, & cum religione psallatur: secus, si uel in conuiuijs inter potandum, uel in templis propter quæstum, sine ulla religione psalmi usurpentur. Ad eum modum, bonum est iuramentum sub nomine Dei factū, si fiat in iudicio, & religiose, cum timore Domini: secus, si fiat temere ac leuiter.

Deinde augetur peccatum, quando non solum leuiter, temere, & sine causa, sed & falsò & mendaciter iuratur. Mentiri per se malum est. Malum hoc accessione iuramenti duplicatur. Capitale erat apud Aegyptios, si quis per salutem Pharaonis peierasset. Qui per nomen Dei peierat, quomodo ille infons haberi poterit?

Tertiò, ad hoc peccatum grande accedit augmentum, quando per iurio leditur proximus. Sunt hic gradus. Si in bonis leditur proximus, primus est gradus: si in fama et existimatione, secundus: si in corpore uel uita, tertius: supremus, si in anima & uera salute.

- 1 Solent sic iurantes excusare quod faciunt, ubi reprehenduntur. Alius dicit: Non iuro malo studio, sed ex consuetudine. At hoc est seipsum accusare magis, quam excusare. Nam huiusmodi consuetudo contrahitur non semel atq; iterum, sed creberrimè iurando, & argumentū habet animi timore Dei destituti.
- 2 Alius multitudinē consimiliter iurantiū pretextit. Multitudo peccantium, peccatum exaggerat, non extenuat: & tandē iram Dei, quoniā inualuit ac maturuit peccatū, prouocat. Sunt qui dicant: Nemini incommodat me iurandi consuetudine. Cogita hic: Nemini incommodabis, si Deum neges, & satanæ seruias. At interea teipsum perdis. Qui suam ipsius salutem perdit, quomodo innocens haberi poterit? Item, quomodo neminem ledit, qui Deum ledit: ledit autem Deum grauiter, quisquis temere iurando nomen eius prophanat.
- 4 Rursus pretextit ab alijs, quod non iurent per nomen Dei. Isti non obseruant admonitionē Christi Matth. 5. qua declarat prophanari gloriā Dei, quando per creaturas illius temere iuratur. Alij dicunt, non mentiri se iurando. Quasi satis sit ad excusandum peccatū, si non mentiant, nec peccetur iurandi consuetudine ac leuitate. Quare uir timēs Dei, studiosissimè cauebit, ne temeritate iurandi nomen Dei prophanet. Quod si præter animi sententiam exciderit iuramentum, non excuset: sed potius seipse accuset, & peccatum sibi condonari petat à Domino. Noui quasdam res publicas, quæ paulo ante hosce tribulationis & tentationis annos sic erant institutæ, ut si quis ciuium leuitate iurandi peccasset, legitimè castigaretur. Nunc uerò ruptis tam sanctæ disciplinæ legibus, sicuti scortationi, adulterijs, ebrie-

Arijs, ebrietati, usurae, ita & temerarijs iuramentis pristina est restituta impunitas. Quare necesse est, ut breui exardescat in Germaniam nostram implacabilis ira Dei: quae usque adeo inualefcet, ut optimates populorum cum primis iustas sint Domino Deo daturi poenas, qui se iam nescio quam rerum tranquillitatem consequutos putant, quod iugum Domini abiecerunt, & nullis sunt amplius periculis propter Euangelium regni Dei obnoxij. Iram & indignationem hominis, cuius flatus est in naribus, ferre nolentes, inciderunt in iram & indignationem Dei, cuius spiritu totus concutitur orbis.

Secundo loco uidendum est, quomodo peccent, qui in iudicijs adiurati iurant. Primum delinquant illi, qui ob modicam pecuniolam iurant, cuius damnum citius ferre debebant, quam sacrosanctum Dei nomen ob tam leuiculum dispendium aduocare. Deinde peccant, qui scienter & prudenter falso iurant. fit hoc dupliciter. Primum, quando asserunt esse uerum, quod sciunt esse falsum: uel falsum esse affirmant, quod norunt esse uerum. Deinde, quando iurando promittunt, quod praestare non cogitant: sed id tantum agunt, ut in praesenti sese trices quibus tenentur peierando eximant. Tertio, quando quod iurarunt, non praestant. De hoc est quod Propheta dicit: Qui iurat proximo suo, & non mutat. Hoc genus periurij etiam apud gentes perpetuo infame fuit. Prisci Romani tanta erant integritate praediti, ut etiam infensissimis hostibus fidem iuramento datam infringi nollent. Nota est historia Attilij. Nunc uero Pontificum uox est, fidem seruare, non esse regum ac magnatum, sed mercatorum. Romani Pontifices foedera regum & principum iureiurando corroborata, ubi ipsis uidebatur commodum, toties sciderunt, quoties uoluerunt, & a fidelitatis iuramento subditos illorum decretis suis liberarunt. Vide 15. quaest. 6. Sic absoluit a uinculis iuramenti Treuerensem episcopum Nicolaus Papa. Sic regem Francorum deposuit Zacharias Papa, & Pipinum Caroli Imperat. patrem in locum illius substituit, ac simul Francigenas omnes a fidelitatis iuramento absoluit. Quam autem ista temeritas Domino displiceat, sitque in regia Zidkia grauiter punita, qui iuramentum fidelitatis regi Babel praestitum perfidus dirupit, uidere est Ezech. 17. Quarto peccant iurantes, quando iurant & usurpant nomen Dei in realiqua illicita, quae sine peccato praestari non potest. Ut si quis uerbi minister iureiurando promittat, quod peccata magnatum corripere, aut falsae doctrinae contradicere nolit. Huius peccati innumerae sunt species. Quare qui adiuratus sacramentum sub nomine Dei praestat, diligenter prospiciat, an quod iurando pollicetur, sine offensa Dei praestare possit. Quinto peccant, in forma iuramenti, qui nomini Dei iungunt nomina sanctorum: de quo peccati genere supra memini. Haec uolui de abusu iurandi paucis & obiter perstringere, ut pios homines admoneam, quo in causa iuramentorum & sibi & alijs cauere discant, ne quid scienter & prudenter contra diuini nominis maiestatem peccent: semper memores comminationis illius, quae in Decalogo dicit: Neque enim insonitem habebit eum Dominus, qui usurpauerit nomen Domini Dei sui frustra.

De solutione iuramentorum.

Quoniam Propheta dicit, Qui iurat proximo suo, & non mutat: non immerito quaeritur, an nulla sit ratio, ob quam irritum fieri possit iuramentum. Est autem haec quaestio inspicienda, non propter eos, qui alioqui uel modica, uel nulla prorsus iuramenti religione tenentur: sed propter afflictas eorum conscientias, qui uinculis iuramenti sic obstringuntur & artantur, ut dum ad iuramenti fidem seruandam adiguntur, contra Deum peccare cogantur. Quare uidendum est, quibus de causis uinculum iuramenti sit rumpendum.

Primum, quando iuramentum illicitum est, sic ut & iurando & seruando peccetur. Vtpote, quando iuratur ad faciendum quod est contra uoluntatem Dei. Quod si uir Israel oblationem uouisset eidolo Baal, uel traducturum se filium per ignem, uel si uouisset Deo precium canis uel scortis:

talía iuramenta & iurantur illicite, & cum magno peccato seruantur. Tale est, si uir uxoratus uxorem suam abiuret. Item, Si quis oblationē & cultum alicui sanctorum uouisset. Peccat iurando, & adhuc amplius delinquit, iuramentum seruando.

Deinde, quando iuramenti seruandi gratia, causa peccati obijcitur. Tale iuramentū rumpendū esse, uel ex eo conuincitur, quod 22. quæst. 4. legitur, iuramentū non esse ad hoc institutū, ut sit uinculū iniquitatis. Exempli gratia: Sacrificuli monachi & episcopi coguntur, ut propter coelibatum seruandum abiurent matrimonium legitimum. Vt hoc iuramentū seruetur, non prohibetur à scortatione, prohibetur uerò à matrimonio: atq; ita ne infringatur iuramenti uinculū, multorū peccatorum causa miseris obijcitur. Tale iuramentum reuera factū est uinculū non iustitiæ & puritatis, sed iniustitiæ & impuritatis: ideoq; libere rumpendū. Nam, teste Apostolo, melius est nubere, q̃ uiri. Neq; uolebat fidelibus laqueum iniicere Apostolus, sed sinebat unumquemq; in ea gratia, quam acceperat à Domino, liberū, & nullo uinculo obstrictum: cuius exemplū, spiritum, & doctrinā debebant imitari episcopi, si ueri essent episcopi, & nec fratrum cōscientias ullis iuramenti uinculis obstringere, nec obstrictas in uinculo iniquitatis ad peccandū retinere, sed liberos reddere Domino, qui illos sanguine suo à laqueis satanæ redemit. Verū quoniā tales episcopos ecclesia non habet, sed subiecta est dominis ac principibus, nullo potest alio consilio succurri fratribus, quā ut primū intelligant, nullius iuramenti religionē eò ualere debere, ut uinculum sit iniquitatis & peccatorum: deinde, secundum Apostolū, si liberi fieri possunt, conentur, seq; ipsi à laqueis satanæ eximāt, & episcoporū tyrannidē fugiant: ne, dū iuramentū præstitū seruare uolunt, grauissimis sese peccatis inuoluāt & perdant. Tale erat, quod Iephthe propriam filiam propter iuramentum mactauit, ludic. 11. Et Herodes Ioannem baptistam, ne quod iurauerat, non seruaret, impiē occidit. Occiderunt illi alios contra uoluntatē Dei, ne essent periuri: tu frater, qui in scortatione perduras, ne uotum soluas, te ipsum non corpore, sed quod peius est, anima occidis.

Tertiò illicitum nec seruandum est iuramentum, quando illius gratia peccatur contra dilectionem proximi. Si quis iurasset in necem proximi, soluendum est iuramentum, exemplo Dauidis, 1. Sam. 25. Reperias hodie, qui iurando iurent, se nemini prorsus uel tantillum mutuò daturos, quoniā semel sunt atq; iterum decepti. Et hoc se iuramento tuentur, ne succurrant inopiæ fratrum. Tale iuramentum pugnat cū dilectione proximi, & aduersatur doctrinæ Christi: quare sine peccato seruari non potest. Qui in monasterijs degunt, sic sunt uinculo uoti monastici obstricti, ut ne humanitatis quidem iura, nedum debita filiorum, ut Christianam dilectionem taceam, parentibus, fratribus, sororibus & reliquis Christianis impendere possint. Horum igitur uota, cum aduersentur legibus humanitatis, & Christianæ dilectionis, Domino placere nō possunt: quare libere sunt soluenda, ut quod captiuum est statutis humanis, ad subeundum iugū Christi liberetur. Sic Apostolus dicit: Empti estis precio magno, nolite fieri serui hominum. 1. Cor. 7.

Quartò, non ualeat iuramentum aut uotum eorum qui sui iuris non sunt, sed aliorum potestati subiecti. Quare quod illi iurarunt, sine consensu maiorum ipsorum licite seruari non potest, etiam si Domino Deo quicquam uouerint. Huius rei manifestissimum argumentum est, ex eo quod Numeri 30. scribitur ad hunc modum: Iste est sermo quem præcepit Dominus. Si quis uirorum uotum Domino uouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum uerbum suum, sed omne quod promisit implebit. Mulier si quippiam uouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognouerit pater uotum quod pollicita est, & iuramentum quo obligauit animam suam, & tacuerit, uoti rea erit. Quicquid pollicita est & iurauit, opere complebit. Sin autem statim ubi audiuit

contra-

A contradixerit pater, & uota, & iuramenta eius irrita erunt: nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater. Consimiliter ibi & de uxori-
bus subiungitur, sic ut illarum uota & iuramenta planè sint irrita, si mariti
ubi audierunt, contradixerint. Vnde manifestum redditur, eiusmodi iura-
menta & uota quæ fiunt ab illis, qui sui iuris non sunt, nisi accedat consen-
sus eorum quorum sunt potestati subiecti, non esse seruanda, sed tanquam
inania, soluenda. Quare firmum censerì non debet, si uel filius, uel filia,
contradicientibus parentibus, matrimonio sese obstrinxerit. Est enim po-
testas eius rei penes patrem, priore ad Corinth. septimo. quæ illi adimi non
debet. Deinde & illud planè iniquum est, si filius, uel filia, reluctanter &
contradicientibus parentibus, potestati paternæ sese eximat, & monasterium
ingrediatur, ibique sese nescio cuius monachi uel nonnæ arbitrio subiiciat, ut
prorsus impius sit, & aduersarius diuinæ legis, quisquis author est, ut procul-
catis in limine parentibus, ad superstitionem monasticam curratur, atque ita
impleatur illud Christi, Irritum facitis mandatū Dei propter adinventiones
uestras. Matth. 15. Dixit enim Deus: Honora patrem, & matrē: &, Qui ma-
ledixerit patri uel matri, morte moriatur. Isti autem docent, proculcandos e-
tiam esse & pedibus in limine proterendos parentes, si obstant, atque ita a-
uolandum ad monasteria. Quis non uidet, quanto leuius fuerit ac tolerabi-
lius, quod faciebant scribæ & Pharisei docentes, ut parentibus diceretur:
Munus quod offero in templum, etiam uobis prodest. Primum enim do-
cebant offerre donaria in templum Dei. Deinde admonebant, quomodo
parentibus expositione & interpretatione munerum templariorum satis-
fieret. Et hoc facientes, authores quidem erant derogandi subsidij parenti-
bus debiti: interea tamen nec docebant filios, ut se totos potestati paren-
tum adimerent: nec iubebant, ut parentes in foribus proculcarent. Et ta-
men impingit illis Dominus, quòd mandatum Dei de honorandis paren-
tibus latum propter suas adinventiones reddiderint irritum. Obsecro pu-
B tamus ne Dominum sic esse immutatum, ut sententiam suam aduersus eos
qui grauioris & immanioris peccati sunt authores, suspendat uel mutet?

Quintò: Non obstringit iuramentum de re impossibili præstitum. uoco
autem rem impossibilem, non solum eam quæ in seipsa est impossibilis, sed
etiam quæ impossibilis est iuranti ac uouenti. ut exempli gratia: Vitam an-
gelicam ducere, res est in se possibilis quidem, sed angelis, non hominibus,
ut hominibus. Virginitatis seruare continentiam, etiam si possibile sit illis
qui donum hoc à Deo acceperunt, non est tamen possibile quibusuis.
Qui potest capere, capiat, inquit Christus. Igitur si impossibile sit ei qui iu-
rauit, ut in carne constitutus, uitam ducat angelicam: satius est stultam & in-
cautam promissionem rescindere, quàm impossibilis rei uinculo obstri-
ctum in uitam labi non iam humanam, sed diabolicam. Paulus nolebat ut
fufciperentur ad ecclesiæ subsidium uiduæ ante annos sexaginta, & hodie
pueri & puellæ ad uotum cœlibatus seruandum adiguntur, cum nulla sint
experientia præditi, quòd donum continentiae uirginalis à Domino acce-
perint. Quare consulendum est omnibus, qui propter rei huius impossibi-
litate ad uitia libidinose carnis & uagam spurcitiam dilabuntur, ut de stul-
to uoto resipiscantes, ad consilium Apostoli confugiant, qui dicit: Propter
scortationem uitandam unusquisque habeat uxorem suam, & unaquæque
mulier uirum suum, priore ad Corinthios septimo. Posset hæc causa, quòd
uotorum & iuramentorum solutionem concernit, pluribus ac fufius
tractari: uerùm arbitror ista non contentiosis homi-
nibus abundè sufficere.